

Joachim Lütkemann Johannes Prillevitz

De Natura Philosophiae Positiones

Rostochi[i]: Richelius, 1639

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729601285>

Druck Freier  Zugang



R N phil 1639.
Joachim Lütkenmann
Johannes Prillewitz



CUM DEO *J. H. phil. 22*

De

NATURA PHILO- SOPHIÆ

Positiones,

Quas

JEHOVA aspirante,

Amplissimâ Facultate Philosophicâ consentiente,

In almâ Rhodopolitanâ,

SUB PRÆSIDIO

M. JOACHIMI LUTKEMANNI


DEMM. POMER.

placida disquisitioni subjcio

JOHANNES PRILLEVITZ DEMM, POMER.

Author & Respondens.

In Acroaterio Majori ad diem Junii.



ROSTOCHI
LITERIS JOHANNIS RICHELII,

Anno 1796 XXXIX,



Universitäts
Bibliothek
Rostock

http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn729601285/phys_0003

DFG

*Amplissimis, Consultissimis, Prudentissimis, Doctis-
simis, Spectatissimis ac Integerrimis Viris*

DN. THEODORO ab *Deseden* / J. U. D. ac Illustris, &
Reverendis. Ducis Megapolitani &c. Consiliario fisci que
Præfecto meritissimo.

DN. JOACHIMO ZANDERO Consuli Reip. Dem-
minensis dignissimo & vigilantissimo.

DN. GERMANO BACHMAN Judici apud Demmi-
nenses perspicacissimo, & Camerario apud eodem
fidelissimo.

DN. CHRISTIANO *Polacken* / Ædis, quæ est Rostochii,
Ducalis Officiali diligentissimo.

DN. MATTHIÆ *Steinkopff* / Centum-Viro & Mercatori
Rostoch. haud infimo.

Dnnnnn. Meccenatibus, Evergetis, Fautoribus, ac
Hospitibus de se meritissimis, Promotoribus suis
æviternum honorandis.

AD vos hæc *Sophiæ* tendunt conamina prima,
Nam studii vobis debeo primitias.
Propensi in Musas estis satis atque benigni,
Gaudent hinc Nymphæ, gaudet Apollo pater.
Suscipite hæc facili *Sophiæ* molimina fronte,
Et dabitis stimulos ad meliora mihi.

V. V. V. V. V.

Observantis.

Johannes Prillewitz.

Cum Deo
POSITIONES
De Naturâ Philosophiæ.

I.

Politioris & nitidioris Eloquentiæ Aquila Arpinas

l. i. Tusc. qv. Philosophiam vocat Donum & Inventum Deorum, innuens ejus originem non ab Hominebus sed ab ipso cœlesti Numine pendere. Quod cum Ethnicus à divinæ veritatis lumine longissime remotus agnoverit, nemo, qui inter Christi affectas est sanæ mentis, negationis telo demolietur.

2. Qvis enim inficias iret Philosophiam non esse è reliquiis imaginis divinæ primitus nobis inditâ? Siquidem ante lapsum Philosophia homini erat naturalis ac ita *Pars Imaginu primæva*. Jam veluti Deus est causa imaginis hujus, ita etiam Philosophiæ.

3. Non minus piè igitur quàm sapienter mihi facere videntur, qui rectæ rationis ductum secuti lucem illam à Patre Luminum in mentibus nostris accensam non sub modio affectatæ cujusdam Ignorantiæ occultant, sed eam proferunt, & splendorem ejus in dies magis ac magis exfuscitant.

4. Quod ipsum mihi accuratius consideranti (quamvis imbecillitatis & tenuitatis meæ non sim infcius) libuit hisce exiguis de Naturâ Philosophiæ conscriptis thesibus prodire, & primum Ingenii specimen in Philosophia edere. Non enim me latet illud Venusini Vatis effatum:

Est aliquid prodire venus, si non datur ulira.

Nec, si ad summa cognitionis Philosophicæ cacumina statim ascendere nequeamus, ideò planè desistendum, & Vacunæ litandum, sed si non licet in primis, sufficiat in secundis, aut tertiis, ut ajunt, consistere.

5. Circa Naturam igitur Philosophiæ excurtiendam duo potissimum notanda: I. *ἐνομασιολογία* 2. *παραγμασιολογία*.

6. Nam rectè, juxta vetus illud Themistii, *πρὸς τὸ ὁρθῶς διδάσκειν εἶναι πρῶτον ἐξιστάζειν, τὸ ἐνομασιολογία*. Cum enim, dicente Philosophorum

phorum Phoenice, voces ac nomina sint ἐρμηνεία, σημεία, καὶ σύμβολα τῶν ἐν τῇ ψυχῇ παθημάτων absurdus esses si rem ipsam velles inquirere, & nomen ejus ignorare.

7. Consideramus ergo in Nomine 1. *Etymologiam*, 2. *Homonymiam*, 3. *Synonymiam*.

8. *Etymologiam* Philosophiæ si videris, patebit eam desumptam esse ex Græcis vocibus Φίλσοφία, ut ita Φιλοσοφία sit Nomen ali- quod compositum, quod fecit Modestia Pythagoræ, antea enim erat simplex.

9. ἐκ τῶν πεπλασῶς λεγομένων etiam esse Philosophiam patet. Quia 1. accipitur Generatim pro quavis eruditâ & accuratâ cognitione, & sic complectitur etiam artes Mechanicas. 2. Philosophiæ nomen ob nobilitatem & dignitatem sibi tribuit sola Philosophia Theoretica l. 6. Metaphys. c. 1. ut etiam Metaphysica, ut habet Philosophus ibid. 3. Sumitur pro disciplinis humanâ industriâ excogitatis ad perfectionem Intellectus & Voluntatis, quæ significatio Philosophiæ h. l. à nobis attenditur. Alias & hoc considerandum venit nos jam non considerare Philosophiam ratione suæ ὑπεράρξεως, quatenus videlicet est in certo subjecto, sed saltem ratione ἰσότητος, quatenus videlicet consideratur in Esse Absoluto, vel prout est in sese.

10. Occurrit deniq; *Synonymia* Philosophiæ. Varii enim variis eandem dotarunt titulis. Plato dixit eam Dei similitudinem, quatenus homini est possibilis, item notitiam divinarum & humanarum rerum; quem Cicero 2. Offic. imitatur. Et si quæ sunt aliæ Philosophiæ honorificæ appellationes, omnes ad bonum sensum revocari possunt & debent.

11. Excusso Nomine ad Rem ipsam veniamus, in qua consideranda venit *Definitio*, *Subjectum*, *Causa*, *Divisio*, *Adjuncta*, *Cognata*, *Opposita*. Definitionem non ante per tractationem eorum, quæ ejus constitutioni inservire possunt, subiciemus.

12. Hoc autem in primis prænotandum, quod exacta & perfecta ejus ad Regulas Logicas quadrans Definitio tradi non possit. Cum enim Philosophia sit Ens per Aggregationem. Definitiones autem sint unius & quidem perfectæ Naturæ ac Univocæ Essentiæ; Philosophia autem
talis

talis non sit, sequi omninò necesse est, exactam Philosophiæ Definitio-
nem dari non posse. Si ergo Definitionem non admittit hoc Defini-
tum, Descriptione saltem contentum sit necesse est.

13. Primò igitur cogitatio de *Genere* tenenda est: Genus autem
accuratum & proximum Philosophiæ omninò dari non potest, *Quia*
non est Per se in aliquo Prædicamento, sed saltem Reductivè. In hujus
ergò defectu sumendum est Genus quoddam latius & remotius, quod
nobis jam erit H A B I T U S, non quidem in strictissimo suo significatu
consideratus, sed saltem quatenus per eum intelligo dispositiones seu
qualitates per crebras exercitationes in mentem humanam introductas.
Et quidem si ad singulas Philosophiæ partes animi aciem direxeris non
sanè Genus magis accommodatum dari posse patet. *Quia* omnis pars
Philosophiæ definitur per aliquem Habitum. Metaphysica, Physica,
Mathematica per Scientiam; Ethica Politica per Prudentiam. Quid au-
tem aliud sunt Scientia, Prudentia, quàm Habitus? Dices:

*Omnis Habitus est certa Species Habitus, sicut omne quod est Animal, est
certa Species Animalis.*

Philosophia non est certa species Habitus cum sit Habituum collectio.

E. Philosophia non est Habitus.

Et ad Majorem distingvendo inter Habitum per se unum, & Habitum
qui unus est per Aggregationem, de quo negatur Major.

14. Non ergo facimus cum Keckermanno, qui Philosophiæ Ge-
nus ponit *Compagem*. Philosophiæ enim Systematicæ forsan hoc com-
modius quadraret, non autem Habituali, de quâ nobis sermo est. Nec
cum Fonscâ assignante eidem *Scientiam* pro Genere, quod est nimis
angustum.

15. Posito Genere de *Subjecto* nunc videndum est, quod est vel *In-
hæsonu* vel *Operationu*. *Subjectum Inhæsonu* est Homo non quivis, nec
secundum quamvis sui partem. Non quivis, inquam, sed Ingenio &
Memoriâ Philosophicis laboribus idoneâ à Deo instructus. Per Inge-
nium autem intelligimus promptitudinem quam Græci vocant *ἀγχι-
νοια* in apprehensione apprehendorum, & dextro Judicio ejus,
quod Intellectui objicitur. Per Memoriam facultatem firmiter reti-
nendi ea quæ percepta sunt. Nec secundum quamvis sui partem Homo
est Subjectum Philosophiæ, sed secundum eam quæ ratiocinatur.

16. *Subiectum Operationis*, aliàs dictum *Objectum*, in se habet & *Materiale* & *Formale*. *Materiale* ponimus omne per se scibile, sive omnes res, sive sint necessariae, sive contingentes. *Formale* in ipsa ratione fundatur. Hæc enim suum Subiectum vel nudè contemplatur, vel etiam simul aliquid operatur. Erit ergò *Formale* pro ratione diversarum Philosophiæ Partium vel Contemplatio vel Operatio.

17. Ad *Causas* nunc veniendum est: *Causa Efficiens principalis* est ipse DEUS, qui menti hominis Philosophiam in primâ Creatione unâ cum Imagine divinâ indidit, adeò ut esset homini naturalis, quâ postea per lapsum depravatâ, exiguâ manserunt reliquæ in naturâ Hominis, quæ sub favillâ quasi reconditâ singulari Dei gratiâ è tenebris in lucem sunt protractæ, & ab Adamo & ejus Successoribus feliciter in posteros propagatæ.

18. Sic ergò *Causa Intermedia*, per quas Philosophia ad nos delata fuit, fuerunt Adam & ejus Posterii. Primi autem parentes quia cum Filiis Hebræi erant, apud Hebræos primùm mansit Philosophia, qui post eandem detulerunt, ad vicinas Gentes, Chaldæos, Assyrios, Ægyptios &c. ab Ægyptiis ad Græcos, à Græcis ad nos deniq; summi Numinis beneficio transmissa est.

19. *Causa Impulsiva* *πρωθυμῶν* seu movens ab *Intera* fuit Naturale & omnibus Hominibus cum lacte materno quasi instillatum desiderium & appetitus sciendi & discendi. Nam πάντες ἄνθρωποι τὸ εἰδέναι ἐπέχοντα φύσιν, inquit Philosophus, Omnes homines scire desiderant naturâ l. i. Metaph. Et quidem omnes scientiam appetunt non tantùm appetitu innato, qui nullam præviam habet cognitionem rei appetibilis; Sed etiam appetitu, ut vocant, elicito, quando homines præviâ aliquâ cognitione feruntur in bonum, aut quod bonum esse videtur. Probationem hujus rei exigis? vide Fons. l. i. Met. c. i. q. i. sect. 6.

20. *Causa Impulsiva* *προγαλαρκλική* seu Movens ab *Extra* est Admiratio. Ex admiratione enim Effectorum, quarum causæ sub Ignorantiæ involucre latebant, cœpisse homines Philosophari, testis est Plato in Theæteto. Hinc Philosophus l. Met. cap. 2. ὁ δὲ παρῶν καὶ θαυμάζων οἷεται ἀγνοεῖν dubitans & admirans putat se ignorare. Et paulò ante eodem cit. loc. inquit: διὰ τὸ θαυμάζειν εἰς ἄνθρωπον καὶ οὖν καὶ τὸ πρῶτον

Ἐν ἡρξαιῶ Φιλοσοφείῳ Propter admirari homines & nunc & primū
cœperunt Philosophari.

21. *Causam instrumentalem* facimus duplicem: Naturalem & Artificialem. Instrumentum enim Philosophiæ duplex est, I. *Naturale*, quod fuit & adhuc est Observatio & Experientia multarum rerum. II. *Artificiale*, quod sunt tres dicendi artes, ut vulgò dicuntur, Grammatica, Rhetorica, Logica. Inter hæc Instrumenta sibi primas partes vindicat Logica. Hæc enim est directrix, & filum qs. Ariadnæum, cujus ductu in cursu Philosophico inoffenso pede progredimur, & intricatissimos Labyrinthos effugimus. Grammatica etiam in nullâ parte Philosophiæ operam suam subtrahit; Rhetorica porissimum inservit Philosophiæ Practicæ. Famigerabilis & diu ventilata hîc occurrit controversia, *An videlicet Logica pro parte Philosophiæ sit habenda?* Nostro iudicio partem dici posse nihil impedit. Nulla quidem Pars Philosophiæ principalis refertur ad aliam, aut cum aliis permiscetur, sed per seipsam qs. cohæret. Instrumentalis tamen habitus ita refertur ad alios, iisque inservit, ut maneat ipse distinctus ab aliis, ut scilicet Logica ratione essentiali ita pars sit Philosophiæ, ut usu simul sit Instrumentum. Et quidni pars posset dici ejus, quod tantum multorum Habituum est collectio?

22. *Causa Finalis* si consideretur respectu Hominis tum dicendum est, idè nos Philosophiæ cognitione animos imbueri ut perficiamus nostrum Intellectum & Voluntatem. Si vero consideretur respectu ipsius Philosophiæ, *IN & Per se spectata*, tum Finis determinandus est pro diversitate Partium Philosophiæ. Theoretica Philosophia Finem nullum habet. Usum verò multiplicem Philosophia Practica habet **FINEM SUMMUM BONUM.**

23. Philosophiam, præter Instrumentalem, dispescimus in Theoreticam & Practicam, eamq; esse probatissimam divisionem, probamus I. à Lege bonæ divisionis:

Omnis divisio adequata suo diviso est legitima.

Nostra hæc divisio est adequata suo diviso. E.

Minor patet: quia nihil in totius Philosophiæ ambitu se offert, quod non ad aliquam hujus partem jure referri possit. II. A Naturâ Objecti Philosophici:

Quæ divisio conformatur ad objectum Rei ea est probata, quia objecta mensurant Res.

M. G.

Hæc divisio conformatur ad objectum Rei. Objectum enim Philosophiæ sunt Res vel Necessariæ vel Contingentes. Necessarias vocamus eas, in quibus Homo nihil habet virtutis, vel ad producendum, vel ad mutandum, sed quæ sunt Naturales, & semper manent in suo vigore. e. g. Cælum, Terra, Aer, Aqua, Ignis &c. Contingentes dicimus, quæ sunt Subjecta Hominis voluntati, adeoq; mutabiles ut sunt virtutes. Circa illas Philosophia ita versatur, ut nudè saltem eas doceat contemplari vel cognoscere: Circa has vero ut eas vel doceat producere vel non. Cum igitur hæc objecta ad propositam nostram Divisionem optimè quadrent, rectè concludimus eam esse legitimam & probatissimam.

24. Tela nunc repellamus quibus impugnatur nostra hæc Divisio. Sic nonnulli eandem arietant.

Cujus Divisionis membra sibi non directè sunt opposita ea non est probata.

Hujus nostræ Divisionis membra non sunt, &c. E.

Minorem probant: Quia Contemplatio tam est in Philosophiâ Theoreticâ, quàm in Practicâ, cum nulla praxis sit sine antegressâ quâdam Contemplatione seu Cognitione, imò ipsa praxis adeò arcè cum contemplatione sit conjuncta, ut unam ab alterâ separari sit impossibile. Sed & ad Minorem. Aliud esse rem nudè contemplari, & cognoscere, & post contemplationem & cognitionem subsistere; Aliud verò non nudè contemplari, sed post contemplationem etiam operari. Sic Philosophus Theoreticus contemplatur & cognoscit res suæ Philosophiæ subjectas, non ut postea operetur, ut Cælum vel Terram &c. faciat, sed nudè saltem cognoscit. Practicus verò non in nudâ contemplatione & cognitione pedem figit, sed videt an post eam contemplationem circa rem sibi subjectam possit operari, vel non operari. Sic ergò concedimus, omnem operationem præsupponere aliquam cognitionem, vel contemplationem, sed negamus ad omnem contemplationem statim sequi operationem. Hoc præcipuum est quod nostræ adversari videretur Divisioni, cœtera quæ obijciuntur levia sunt.

25. Hæc est Generalis totius Philosophiæ Divisio. Theoretica Philosophia iterum dividitur in Metaphysicam, Physicam & Mathematicam. Practica in Ethicam & Politicam. Quæ partes singulæ suas habent subdivisiones, quas per sequi jam non est nostri instituti, qui saltem in Generalibus versamur, & summa rerum tangimus fastigia.

17. His

26. His ita constitutis subijcimus descriptionem Philosophiæ & dicimus, quod sit *Habitus eorum, quæ ex ratione sciri possunt, quatenus faciunt ad Intellectus & Voluntatis nostræ perfectionem.*

27. *Adjuncta* nunc sub considerationis incudem vocamus, quæ magna sunt varietate distincta, inter quæ potissima saltem recensemus. Tria ergo ponimus præcipua, 1. *Voluptatem*, 2. *Libertatem*, 3. *Utilitatem*.

28. *Voluptatem* appellamus eam animi refectionem & lætitiã, quæ ex Philosophiæ studio percipitur, estq; vel Theoretica vel Practica. Illa est, quæ oritur ex intimâ rerum Philosophicarum contemplatione & cognitione. Hæc, quæ originem trahit ex strenuo virtutum exercitio, & providâ vitiorum evitacione.

29. Deinde *Libertatem* conciliat Philosophia & Intellectui, & Voluntati, ut alterius opinionis non sint mancipia. Intellectus Philosophiã munitus non statim quævis sibi objecta temerè credit, sed rationem quærit cur hoc vel illud ita sese habeat, cur non aliter. Nervos enim atq; artus veræ sapientiæ esse tenet non temerè credere. Nec voluntas statim eligit quidvis pro quovis, sed prudenter omnia expendit, antequam hoc vel illud sibi sequendum proponat. In summâ, Philosophus agit rationibus, non opinionibus.

30. Tertium *Adjunctum* Philosophiæ posuimus *Utilitatem*, quæ spectatur, partim in cognitione Dei naturali, partim in cognitione Nostræ, ut & omnium creaturarum. partim in cognitione superiorum Facultatum, Theologiæ, Jurispr: & Medicinæ.

31. Cum autem loquimur de cognitione Dei *Naturali*, prænotamus nos sumere *τὸ Naturale*, quatenus opponitur cognitioni Dei *Gratiæ*, quam solus adjuvat Spiritus Sanctus. Talem dari cognitionem Dei in Philosophiã probatur ex Rom. 1, 18. 19. 20. 21. & seqq. ubi Paulus expressè testatur, *τὸ γνωστὸν θεῶ φανερὸν ἐστὶν ἐν ἔθνεσι* h. e. noticiam Dei manifestam esse in Gentibus. Hæc autem notitia alia esse non poterat quàm Naturalis, quia notitiã revelatã desituebantur Gentiles.

32. Cognitionem *sui ipsius* ut & omnium creaturarum etiam homini suggerit Philosophia. Sui ipsius, inquam, tam quoad *ESSÈ* quàm quoad *benè ESSÈ*. Quam nobilis enim, O homo, sis tui factoris structura, quàm *καλὸν σφῆ τέλειον* & *κρίκιμα* doceris in Physicâ, quæ itidem te ducit in cognitionem earum, quæ in universo hoc syste-

B

mate,

mate cernuntur, creaturarum. Quàm benè autem tam in vita Privata, quàm Publica versari oporteat tota te docet Philosophia Moralis.

33. Quod deniq; Superiores Facultates ex Philosophia non vulgarem capiant utilitatem, nemo, cuicumq; etiam addictus sit, diffitebitur. Theologus sanè hærebit in dextrâ S. Scr. Interpretatione, nisi Philosophiæ Habitu instructus sit. Scriptura enim multa proponit ex medicullio Philosophiæ depromta. In controversiis non exigui saepe momenti decidendis ægrè progredietur nisi ministra adsit Philosophia. Quid enim respondebis adversario tecum disceptanti contra Pluralitatem Personarum Trinitatis ex doctrinâ Unitatis, Simplicitalis, Singularitatis, nisi scias quomodo unum, simplex, singulare in Philosophiâ se habeat? Quid respondebis in Loco de S. Euchar. cum disceptatur, An tam corpus & sanguis, quàm Elementa terrestria panis & vinum verè & realiter adsint in S. Coena? Adversarius tecum agit ex naturâ signi & signati, loci & locati, quæ ex Philosophiâ haurienda est. Et sic in aliis. Imò quàm multos errores Philosophiæ Ignoratio pepererit, Flacii & aliorum exemplo manifestum est. Jctus ex totâ Philosophiâ, præsertim Morali, habet quod eidem acceptum ferat. Nec Medico deest quod debeat Philosophiæ.

34. Hinc etiam est quod tam arctissimo affinitatis vinculo conjuncta sit Philosophia cum Superioribus Facultatibus, de singulis in specie hoc ostendendum est. Et i. quidem de Theologiâ hoc satis commodè demonstrari posse censemus, si probetur: Theologo licitum esse ex foro Philosophico ad thesin suam stabiliendam Argumenta depromere. Quod manifestum est, quia Theologo licet ab Effecto ad Causam Argumentari. Sed Theologus agit de Causa omnium videlicet Deo. Philosophus ut plurimum de rebus creatis quæ sunt effecta Dei. Sic licet Argumentari à Genere ad Speciem. Jam Species, quædam sunt considerationis Theologicæ, quarum Genera dependent à consideratione Philosophicâ. Conf. thes. præced. Patet idem exemplo Christi & Apostoli Pauli, qui non rarò à rebus Philosophicis ad Theologicas illustrandas argumentati sunt. Ita Christus. multa fidei mysteria declarat per Similia ex ipsius Naturæ scrinio depromta, ut quædriga Evangelistarum abundè testatur. Non ergò Argumentatio à rebus Philosophicis ad Theologicas, statim dicenda est *μετάβασις ἐκ ἄλλο γένους*.

216. Nam sana Philosophia nunquam contrariatur Theologia. Veritas enim est unica & simplicissima, & quod verum est, verum manebit, sive dicatur in Philosophia, sive in Theologia.

35. Hoc tamen notandum est. Etsi magnam habeant inter se Cognationem Philosophia & Theologia, non propterea statim sunt Unum & Idem, sed diversissima. Cum diversa habeant Principia. Illa enim sequitur Rationem; Hac divinam Revelationem. Illius Finis est Homini quatenus homini in hac vita possibilis perfectio. Hujus aeterna Salus & Beatitudo, ad quos fines obtinendos diversa planè adhibet Media.

36. Cognatio deniq; intercedit etiam Philosophiae cum Jurisprudencia & Medicinâ, id quod satius patet ex thesi 33. Diversitas autem harum Facultatum à Philosophiâ facillè colligitur. Quia Philosophia tantum in generalibus enodandis occupata est. IUSTUS autem & Medicus descendit ad specialia, quæ sunt Circumstantiæ Personarum, Rerum, locorum, temporum &c.

37. *Oppositam* sibi habet Philosophia 1. omnem Naturalem, Ineptitudinem & Stuporem. 2. Artem Sophisticam sanæ Philosophiæ inimicissimam. 3. Confusionem & Mutilationem. 4. Magiam, quæ præstigiis innixa Diabolicis cognitionem ostentat, nescio quam, Philosophicam. Imò contrariatur Philosophiæ omnis ejusdem, quocunqve nomine etiam veniat, abusus.



Corol-

Corollaria.

1.
AN idem numero retroduci sit Possibile? Affirm.

2.
An ob concursum causæ primæ cum causâ secundâ in actione peccati, causa prima dici possit causa peccati? Neg. sed non sine distinctione.

3.
An non-repugnantia hominis sit Causa determinans actionem Spiritus S. in conversione, & an actio Sp. S. ibidem dici debeat causa indeterminata? Negatur utrumq;.

4.
Res ne ipsæ, an solum Nomina sint universalia? Affirm, prius.

5.
An anima rationalis sit immortalis? R. Nisi per peccatum Mors introductam esset, non fuisset dubium. Post introductam mortem, audacter dicim⁹:
Anima est mortalis.



26. His ita constitutis subijcimus descrip-
dicimus, quod sit *Habitus eorum, quæ ex ratione sci-
unt ad Intellectus & Voluntatis nostræ perfectione*

27. *Adjuncta* nunc sub considerationis incu-
gna sunt varietate distincta, inter quæ potissim
Tria ergò ponimus præcipua, 1. *Voluptatem*, 2. *L*

28. *Voluptatem* appellamus eam animi rel
quæ ex Philosophiæ studio percipitur, estq; vel
Illa est, quæ oritur ex intimâ rerum Philosophiæ
& cognitione. Hæc, quæ originem trahit ex stru-
ctio, & providâ vitiorum evitacione.


29. Deinde *Libertatem* conciliat Philosophi
luntati, ut alterius opinionis non sint mancipia
phiâ munitus non statim quævis sibi objecta ten-
nem quærit cur hoc vel illud ita sese habeat, cur n-
atq; artus veræ sapientiæ esse tenet non temerè
statim eligit quidvis pro quovis, sed prudenter
quam hoc vel illud sibi sequendum proponat. I
agit rationibus, non opinionibus.

30. Tertium *Adjunctum* Philosophiæ pos-
spectatur, partim in cognitione Dei naturali, partim
stri, ut & omnium creaturarum. partim in cogni-
cultatum, Theologiæ, Jurispr: & Medicinæ.

31. Cum autem loquimur de cognitione
mus nos sumere τὸ Naturale, quatenus opponit
tiosæ, quam solus adjuvat Spiritus Sanctus. Ta-
Dei in Philosophiâ probatur ex Rom. 1, 18. 19. 20
expresse testatur, τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ φανερὸν ἐστὶν ἐν
Dei manifestam esse in Gentibus. Hæc autem
terat quam Naturalis, quia notitiâ revelatâ destit-

32. Cognitionem *sui ipsius* ut & omnium
homini suggerit Philosophia. Sui ipsius, in qua
quam quoad *benè ESSE*. Quam nobilis enim,
structura, quam καλὸν οὐκ ἔστι τέλειον & καί κεν
quæ itidem te ducit in cognitionem earum, quæ

B



phiæ &
renus fa-
ya ma-
ebimus.
litatem.
titiâ,
tractica.
olatione
exerci-
i, & Vo-
philoso-
d ratio-
os enim
oluntas
t, ante-
sophus
m, quæ
one No-
um Fa-
ranota-
Dei Gra-
tionem
i Paulus
titiâ,
non po-
siles.
etiam
E S S E
factoris
hysicâ,
oc syste-
mate,